

Johannes Freder

**ILLVSTRISSIMIS || PRINCIPIBVS AC DO=||MINIS, D. IOHANNI AL=||BERTO ET D.  
VDALRICO,|| FRATRIBVS, DVCIBVS MEGAPO=||LENSIBVS, PRINCIPIBVS  
GENTIS || HENETAE, COMITIBVS SVERINI, DOMINIS || Rostochij ... Vrbem suam  
|| Rostochium facta pace ingredientibus || PANEGYRIS || SCRIPTA || A ||  
IOHANNE FREDERO.||**

Rostock: Stöckelmann, Johann und Gutterwitz, Andreas, 1574

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1000471268>

Druck    Freier  Zugang





MK-1362

<16. Jh.>





ILLVSTRISSIMIS  
PRINCIPIBVS AC DO-  
MINIS, D. IOHANNI AL-  
BERTO ET D. VDALRICO,  
FRATRIBVS, DVCIBVS MEGAPO-  
LENSIBVS, PRINCIPIBVS GENTIS  
HENETAE, COMITIBVS SVERINI, DOMINIS  
*Rostochij & Stargardiae, Urbem suam*  
*Rostochium facta pace ingredientibus*

## PANEGYRIS

SCRIPTA

A

IOHANNE FREDERO.



ROSTOCHII

IN OFFICINA IOHANNIS STOCKEL MAN  
& Andreæ Gutteruitz.

ANNO M. D. LXXIII.



P A N E G Y R I S.



PLENDIDA conueniunt patriæ fir-  
mantia pacem  
Lumina, quæ patriæ cura salusq; suæ.  
Omnia lætitiam præ se iam ferre vi-  
dentur,

Omnia gratantes iam resonare modos.  
Ipsa adeo cœli facies & gratia plaudit,  
Et tempestates aura serena fugat.  
Est sine nube dies, frenant sua murmura Cauri,  
Splendidius nitido Phœbus ab axe micat.  
Musa veni, mibi Musa faue, si læta dedisti  
Vnquam plectra, modò suffice læta mihi.  
Nos quoq; sincera colimus qui mente Camœnas  
Prop pacis gratos iam decet esse bono.  
His quæ vidi oculis, quæcumq; his auribus hauſi,  
Fas mihi sit lætis commemorare modis.  
Tempus erat quando pulsis Aurora tenebris,  
Aurea fert nitidum Solis ab orbe diem.  
Fulgidus Eō cum primū Pegasus ortu  
Andromedęq; suum protulit orta caput.  
Tum viridi gestans oleæ de fronde coronam  
Candida Pax soluit talibus ora sonis.  
Carminis ò auctor Phœbe, ò Heliconis alumnæ,  
Vos memores vestri muneris effe decet.

A 2 Lumi-

Lumina conuenient patriæ clarissima terræ,  
Et mea firmabunt iura meumq; decus:  
Præbet vbi hospitium Christo vobisq; benignum,  
Vrbs de fragranti nomen adepta rosa.  
Scitis ut ante ferox steterit Bellona flagello  
O nimium vestris infidiosa choris.  
At celebranda Patrum patriæ Clementia vestris  
Attulit optato tempore rebus opem.  
O igitur dignos æterna laude, togatas  
Qui laudes armis antetulere suis.  
Excipite Heroes gratanti carmine, fulgent  
Splendida qui vestri fama salusq; chori.  
Sic ait & suauem latè diffundit odorem:  
Cui tales retulit latus Apollo modos:  
O Pax alma poli terræq; marisq; voluptas,  
Qua nihil vberius vesper & ortus habent.  
Me nuper Charites eadem petiere: repulsam  
Nec patientur eæ, tu patiere minus.  
Huc legarat eas Academia grata Rosarum  
Vrbis, VVandalici fama decusq; soli.  
Non audire decet nos surdis auribus illas,  
Nec tibi nos surdis auribus esse decet.  
Officij memores cantabunt ordine Musæ,  
Et facient grata carmina grata lyra.

Apol-

A P O L L O.

**M**VSæ noster amor, soboles generosa Tonantis,  
Magnificas grato laudes & maxima summi  
Carmine facta DEI nos Heroumqpotentum  
Decantare decet: linguis animisqfauete.

C L I O.

**A**nte DEI solium niueo Sapientia vultu,  
Assistit cum Iustitia, quæ cuncta gubernant:  
Aureaqi in terris certo dant ordine sceptræ  
Principibus, quorum cultas sapientia mentes  
Iustitiaeqi armat Maiestas inclita dextras,  
Magno magna gerant ut pectore munia Regis,  
Qui mare, qui cœlos, qui terras numine complet.  
Quo duce diuinos veræ Pietatis honores  
Amplificant, vitæqi oculos fontesqi bonorum  
Ingenuas pulcris fernant virtutibus artes  
Atque suos patria populos bonitate tuentur.  
**T**alibus Heroes meritis illustribus ancti  
Vos stirps ortæ duces alto de sanguine Regum,  
Vos decus Heruleæ vos splendida lumina gentis,  
Clementes Patriæ Patres, vos viuida virtus  
Ingenij ingenuas ad doctæ Palladis artes  
Me duce aeduxit, vestram sapientia mentem

A 3

Munit

Munit, Iustitiae vos laudibus euebit ardor.  
Vos ego perpetuo gratis celebrabo Camœnis,  
Vos adeo in media nos tempestate benigno  
Exceptas vestra fousistis in Urbe Rosarum  
Haec tenus hospitio constanter, nosque fouere  
Perpetuum summum patriæ decus esse videtis,  
Et munus patriæ verè laudabile patrum.  
Ergo vestra etiam nostro Clementia fecit  
Hospitio dulcis dulcissima gaudia Pacis:  
Quanibil uberius nil dulcius emicat orbi  
Solis ab occasu, melius nil, solis ad ortum.  
Ergo PRIBISLAVM grato ceu carmine Regem,  
Ducitis unde genus, cuncto memorabimus ævo,  
Condidit auspicijs hanc qui felicibus urbem:  
Sic bene apud memores vestri stat gratia facti.  
**H**erculeum HEROES animum, cor Nestoris ipse  
Dat Deus, & magni generosum robur Achillis,  
Pectoraque in bello vobis fortissima, vobis  
Charior eximio tamen est Pax alma triumpho,  
Vos exempla sequi maiorum illustria læte  
Conspicimus, quorum virtus & facta fidesque  
Et merita in patriam decus immortale merentur.  
Quos ego post, MAGNO斯 virtute & nomine magnos  
HENRICOSque patres patriæ, Albertosque potentes,  
Et vos magnanimos celebrabo carmine grato  
HEROES nulli veterum virtute secundos.

EVTER-

## EVTERPE

**C**andida Religio, præstans animus, sacriq; iuris  
Cultus, Benignitasq; Principem ornant  
Rectius, ac fulgens aurum, Syri iubar vel ostri,  
Tyrinthij vel stemma opesue Craxi?

Rectius exornant certè laudemq; veriorem  
Merentur & verè genus celebrant.

In laudes igitur vestras o Principes sonora  
Lyræ mouemus iure plectra nostræ.

Vos Pietas decorat dans vobis non è caducis  
Sed floribus perennibus coronam.

Vos præstans animi virtus, vos excitatoris  
Acumen ingenis scientieq;

Vosiubar Astrææ vos almæ laus benignitatis  
Commendat & DEO vos æquat almo.

Non vobis illustre genus celebris aut auorum  
Sanguis deest imaginesq; celse.

Quas ego linquo tibi soror optima versibus canoris  
Thalia, quas te persequi decebit.

Ipsa alias alijs quoq; carminibus canam celebres  
Origines Ducum & præclara facta:

Inter quæ fulget cœlo velut Hesperus sereno  
Horum decus, qui Musas hic vocarunt.

Varnus ubi magno Oceano miscetur & Rosarum  
Vrbem alluit, rigatq; prata latus.

PRINCIPIS officium est ut sit nutritius scholarum:  
Expers scholarum vita, vita non est. Thalia

## THALIA.

**S**plendida quæ fulget Insignia, carmine pandā,  
Heroum patriæ Marte togaq; patrum:  
Emicat Heroo quorum clementia vultu,  
Et columen nostri præsidiumq; chori.  
Et virtutis amor Pietasq; paterna fidesq;  
Et iunctum augusta cum Grauitate decus.  
Heruleæ æternum iubar illi & gloria terræ,  
Stirps quibus à summis regibus orta nitet.  
Magnus Alexander caput extitit orbis: ab illo  
Regia Bucephali frontis origo venit.  
Cuius magnanimus bello insuperabilis Heros,  
Maximus Anthyrius Duxq; comesq; fuit.  
Is decus Heruleæ primæuaq; stirpis origo  
Imperio tenuit Baltica rura suo,  
Baltica regantem Cimbros in littore Thetys  
Confexit: quorum famaq; lausq; viget:  
Quà iubar Oceano profert, quà contrahit umbras,  
Et quà purpureis Sol iuga demit equis.  
Fortibus hæc armis gens inclyta, fortibus ausis,  
Transiit in fines Itala terra tuos.  
Et Romana suis armis exercuit arma:  
(Testis erit Tybris, testis Iberus erit)  
Atq; caput vexit vexillo nobile tauri,  
Martia qui forti cornua fronte gerit.

Arduus

*Arduis huic astat G R Y P H I S , cui lumina fulgent*

*Igne a, quiq; refert alitis ora Iouis.*

*Candor inest alis exornat purpura pectus,*

*Cœruleus vestit colla animosa decor.*

*Robur habent vngues ad vim bellumq; parati,*

*Si vim, si bellum tempora resq; velint.*

*Talia virtutes comitata insignia belli,*

*Talia magnorum sunt monumenta Ducum:*

*Scilicet Heroum felici Marte potentum*

*Immortale manet fortia facta decus.*

*In media CLYPEVS pulcro cœlamine fulgens*

*Ancilis lapsi cœlitus instar adest.*

*Hinc velut è cœlis sacrato DEXTER A peplo*

*Cincta nitet, factis glorificata suis.*

*Quin etiam dextræ celebris virtute, tenetur*

*Aureus in digitis ANNVLVS orbe teres.*

*Qui (si sacralicet mysteria pandere) præter*

*Cætera, perpetuò quod meditemur habet.*

*Testis enim signumq; DEI bonitatis amorisq;*

*Et fidei & fidi fæderis esse potest.*

*Splendidus ut puro gemmam tenet annulus auro,*

*Ipsaq; forma velut fulgida fine caret:*

*Nobile sic fidei decus enitet atq; tuendum est,*

*Sic fidi nullus finis amoris erit.*

*Opto perpetuò vigeat Megalburgica tellus*

*Desponsata fide Iustitiq; DEO.*

B

Quæ

*Quæ te Christe sibi despondeat, alma vicissim  
Optima qui sponsi nomina iure geris.  
Et sacra Iustitiae, castis sacra moribus Arx sit:  
Dona cui lœta Pax tua fronte feras.  
Quæ iuuet ingenuas foueatq; fideliter artes  
Et maneat Templum sancta domusq; D E I.*

## MEL POMENE.

*V*erba T Carbunculus anteit  
Non splendore modò sed precio quoq;  
Gemmis quas Oriens æquoribus procreat in  
rubris:  
Sic præstantia pectoris  
Præponenda bonis corporis omnibus  
Sint vel dona Mydæ, nobile vel genus Herculis.  
Est non vltima claritas  
Stirpis laus, sed ubi nobilis ardue  
Laus virtutis adest, tum decus & laus optima adest.  
Sunt verè viri ij optimi  
Quorum mens reliquis inclita prænitens  
Summo præ reliquis multa piè grata facit D E O.  
Nam virtutis inops opes  
Inter qui celebri cretus origine est  
Nummorum nitido possidet & sub lare plurimum  
Vera à nobilitate adest  
Plus quam diues Iber diuite ab India,  
A Iordane Padus, corniger à Danubio Tagus. Non

Non ergo genus aut opes  
Verè nobilitant, vulgus ut aestimat,  
Virtus est que homines sola potest reddere nobiles.  
Hac Anchisiades fuit,  
Et Laertiades nobilis hac fuit,  
Alcidesq; potens Hectoreæ telaq; dexteræ.  
Nam merces solet optima  
Virtus esse sibi, dum fouet optimos,  
Extollitq; viros magnificis non sine honoribus.  
Verum maximus est honos,  
Summa est nobilitas esse Pium & Bonum,  
Virtus prima DEV M nosse suiq; officij modum.  
Ergo vos quoq; PRINCIPES  
Proles semideum laus manet amplior:  
In quos splendor bonos lausq; cadit non modo stemmatis,  
Virtutum modo nec chorus,  
Qui multis etiam fulsit in Ethnicis:  
Sed veri agnitus vera Dei, verus amor Dei,  
Excellens bonitas, pius  
Cum prudentia amor curaq; patris:  
In mundo melius nostra quibus vita nihil videt.  
Verè vos quoq; Nobiles  
Præstantesq; VIRI, Consiliarij  
HEROV M patris, vos medij pacis & ensium,  
Laus & gloria splendida  
Æternumq; decus famaq; vos manet.

B 2

In

In quos nobilitas clara cadit non modo sanguinis:

Sed cordis pietas, vigor

Mentis, consilij copia, linguae honos

Doctrinæ decus, in patriam amor, curaq; proximi,

Hæc est N O B I L I T A S, facit

Quæ verè celebres, hæc solio sedens

Ceu Reginar regit, Deo dante, rem bene publicam.

## T E R P S I C H O R E.

Ptima de Patria præclarè cura mereri

Maxima lausq; Ducum.

Hoc decus optandum est, hæc gloria vera Re-

Sit pater vt patriæ. (genti,

Marte potens quando Mars regnat, pacis amandæ

Tempore pacis amans.

Nutriat ardenti complectens pectore cœtum

Maxime Christe tuum.

Impia rejciat deliramenta sacrorum

Triste Baalis opus.

Aduocet in patriam Clarias sacra numina claro

Ex Helicone Deas.

Artibus vt pulcris virtutum semina plantent,

Reg; fideq; colant.

Legis amans Legem sonet, gerat aurea fidus

Sceptra vicesq; D E I.

Non

Non gladium frustra gestet Diuina potestas  
Fasq; nefasq; videns.  
Candida Pax & honesta quies & amica voluntas  
Subdita corda beent.  
Elicit vt rostro Pelicanus pectore guttas  
Sanguinis ipse suo,  
Et sua serpentis sufflato extincta veneno  
Pignora vinificat:  
Sic pro lege ferens & pro grege bella sit Heros  
Vita salusq; suis.  
Talis erat verè soboles Iesseia, talis  
Abide natus erat.  
Augustusq; potens & cui Constantia magno  
Nomina magna dedit.  
Alphonsusq; pius, simul is qui dictus amorq;  
Deliciæq; hominum.  
Eximias horum laudes & clara sequuntur  
Facta decusq; Ducez:  
Quos decorat Gryphes latè fulgentibus alis  
Bucephaliq; caput.  
Fortia facta mibi sunt quorum cognita: verūm  
Longa referre mora est.  
Has igitur dabimus tibi docta Polymnia partes,  
Tu quia voce vales.  
Si tibi sic placeat, ceu cœpi, pergit, idemq;  
Carminis esto genus.



## POLYMNIA.

**N**on referam prima repetens ab origine cuncta  
Quæ memorare queam.  
Pauca tamen referam: Nostri Megalepolis ora  
(Si meminisse velis,  
Quæ meminisse decet) sacra quæ domicilia pestes  
Antea polluerint.  
Vt ruditis & fidei fueris morumq; bonorum  
Artis & ingenuæ.  
Iam patriæ patribus debes, quod certa salutis  
Est via nota tibi.  
Quodq; tibi varias Academia nota per oras,  
Dans bona summa viget.  
Quodq; gerens ensem dextra, lancemq; sinistra  
Te Dea iusta regit.  
Et sua dona Ceres pulcris redimita coronis  
Sufficit alma tibi.  
Quin etiam, externus si te Marte impetat hostis,  
Sub iuga teq; vocet:  
Sunt tibi, qui capiant pro Libertate tuenda  
Fortiter arma, Duces.  
Impia sphinx Latys ad te cum serpsit ab oris  
Lustra ter ante duo,  
Quæ latebris voluit, nebulisq; inuoluere priscis  
Religionis opus.

Tum

Tum patriæ patres nitidi fulgentibus armis,

Pectore magnanimo,

Relligionis opus, veram æternæq; salutis,

Que petit astra, viam,

Et Libertatis Germanæ nobile gentis

Afferuere decus.

O felix tellus, Superum cui gratia tales

Datq; fouetq; Duce;

Qui regere imperio populos belloq; togaq;

Tempus ad omne sciant.

His tecum Pyliæ Neleia fata senectæ

Faustaq; cuncta precor.

Tu reuerenter ama, tales reuerenter honora

Patria Terra Duce.

Te decet obsequium, decet obseruantia summis

Officiosa bonis.

Maxima laus patriæ, patriæ pia patribus ipsi

Subdita quando DEO est.

CAL.

## CALLIOPE.

**G**Audete ô populi beatores,  
O gaudete, frui potestis alma  
Qui pace, atq; Duces benigniores  
Et verè patriæ patres habetis.

**PAX** pulcherrima fulget inter omnes  
Dinas: optima **PAX** salute plenis  
Ornat res hominum beatq; dextris.

**P**acis sunt comites suaniiores,  
Pacis sunt & alumnæ amiciores:  
Veri Cognitio **D E I** atq; cultus,  
Legesq; optimæ & Artium optimarum  
Libertatis honosq; dignitasq;.

**I**nfinita animæq; corporisq;  
**PAX** confert bona: Nuptias, amores,  
Prolem, diuitias, opes, honores,  
Annonam, segetes, serena festa,  
Plausus, lætitiam, choros, quietem.

**G**Audete ô populi beatores,  
O gaudete, frui potestis alma  
Qui pace, atq; duces benigniores  
Almæ & pacis amandæ amantiores  
Vobis esse **D E I** benignioris  
Almæ & pacis amandæ amantioris  
Dono suspicitis datos, & omnem

Omni

Omni iure, fidemq; gratiamq;  
Declaratis obedientiamq;  
Illiſ & reuerenter omnem honorem.  
**S**aluete Herulei Duceſ, Patroni  
Iuris, lumina patriæ, ſalutem  
Impertit quibus æthere eſ supremo  
Rex supremus, eamq; vos viciſſim  
Impertiſis amore ſubditorum  
Ingeni populiſ benignitate:  
Qui cum vos ſtatuiſſe triste quiddam,  
Res & iura iubent, ſoletis ipſi  
Totis cordibus eſſe triftiores.  
Pœnae multa metu coerciuſſe  
Pœna, paucā, Duceſ decet benignos.  
Non virtute alia **D E O** potestis  
Æquari magis, & magis placere.  
Hæc lauſ maxima Cæſarum atq; Regum  
Magnorumq; Ducum, omnium & regentum;  
Hæc lauſ maxima consecrauit ipſum  
AVGVSTI imperium, idq; glorioſum,  
Augustumq; magis magisq; fecit.  
**G**audete o populi beatiores.  
O gaudete, frui potestis alma  
Qui pace, atq; Duceſ benigniores  
Et verè patriæ patres habetis.

C

ERA-

## ERATO.

**N**unc valete ò classica Martis, & nunc  
Ultimam Thulen Litui occupate:  
Vos Chori, vos Gaudia, vos Lepores  
Semper adeste.

Patriæ Patres Patriam bearunt  
Pace, iam CONCORDIA læta regnat,  
PAX triumphat diuitibusq; palmis  
Omnia ditat.

Finibus nostris procul i Simultas,  
I pauens Formido, Eris i maligna:  
Non locus vobis erit hic, abite:

Hic quid? Abite.

Fronte sunt læta Charites reuersæ,  
Subditos pulchro Charites Duceq;  
Vinculo iunxere & amore & almæ  
Fædere pacis.

Sit precor felix stabilisq; Pax hæc:  
In DEO mens vna, fides sit vna  
FRATRIBVS queis nil habet hæc duobus  
Patria maius.

Mutua fratrum quia Charitate  
Ipse lætatur Deus, Angeliq;  
Nil ea incundius orbe toto,

Æthere toto.

VR A-

V R A N I A.

**P**Acis pater, Concor-  
die  
Dator, Deus mi-  
tissime,  
Potens pater, potens dator,  
Tutela clemens omnium,  
Qui principes qui subditos  
Amoris, obseruantiae  
Concordiae mutuo  
Ligas & vnis vinculo  
Lætoq; præsens omne  
Clementer illos excipis,  
Dum fausta cœli sydera  
Caput serenum proferunt:  
Quæ fata monstrant mitia,  
Et fata tollunt tristia,  
Et læta reddunt omnia.  
Grates tibi non desinam  
Non desinam laudes tibi  
Et corde læto soluere,  
Et voce læta dicere.  
Oculi Régentes quòd vident,  
Auresq; subditæ audiunt.  
Est omne munus tui.

Non absq; te sunt prospéra  
Statuta pacis fœdera:  
Tu solus es pacis D E V S.  
Tu das salutem regibus.  
Tu das salutem subditis:  
Qui mente pura te colunt.  
Te quotquot h̄ic conuenimus  
Toto precamur pectore  
Ut Spiritu regas tuo  
Et Principes & subditos,  
Concordiae fœdere  
Ornes & æterno aureæ  
Amore pacis glutines,  
Vultu benigno adaugeas  
Potente dextra protegas  
Gaudete gaudete o pij  
Vrbis Rosarum, dediti  
Nobis Chori, hospites sacri,  
Et hanc (vt est fas) candidam  
Habete Februarij  
Quotannis octauam diem  
Primamq; Septembris bono  
Vicesimam ortam sydere:  
Hac, pax refusit aurea,  
Illaq; firma à patriæ  
Facta est benignè patribus.

*Ob pacis omnes gaudium  
Gaudete gaudete ordines :  
Aduertit aures deditas  
Rex pacis ad nostras preces :  
Iam quisq; plectro dulcia  
Tentet canoro carmina :  
Pacis Deo sit gloria.*

*Adeste dulces Gratiæ  
Adeste Pacis nunciae,  
Lætisq; dextris sumite  
Lætoq; nostris pectore  
Hæc danda patronis date,  
Quæ læta mente fecimus  
Nostris patronis munera:  
Quos elegantioribus  
Modis canemus postmodò.  
Tum sanguis Heroum, genus  
Illustre Regum, plurimi  
A stirpe quorum fortibus  
Armis togaq; splendidi  
Orti fuere Principes,  
Stabunt nitenti carmine.  
Tum Rex PRIBislauS potens,  
Tum BVREVIInus inclytus,  
Eiusq; proles inclyta  
HENRICus, & nati ipsius*

*Virtute præstantissimi,  
Et cæteri Heroës erunt  
Nobis celebrati amplius.  
Tum VVALdemarum gloria,  
(Rostochiaæ qui splenduit  
Assylon vrbis & salus)  
In celsa tollet sydera.  
Clarumq; IOHANNem, decus  
Patrij soli qui maximum  
Academiam erigens Rosas  
Hic inter , ALBERTO simul  
Opem ferente, Balthici  
Oras celebres littoris  
Septem & Triones optima  
Fama sui implet nominis,  
Horum sequens vestigia  
Dux MAgnus Heros optimus  
Avusq; Vester, & Pater,  
Et Patrius sunt laudibus  
Dignissimi immortalibus.  
Iam V O S paterno pectore  
Sacrum fountes ordinem  
Scholasq; vitæ lumina,  
Florem, decusq; Ecclesiæ,  
HEROAS optimos manet  
ÆternalauS & gloria..*

*Alia cum lœtæ cecinissent ordine Musæ  
Pax roseo lœtos addidit ore sonos:  
O fortunatos Diuino munere, cernunt  
Heruleo qui me cung<sup>q</sup> Vigere solo.  
Aurea sum verè summi sata pectore patris:  
Eius in excelsa sunt mea dona manu.  
Qui semel atq<sup>u</sup> simul gentem sine corpore fecit  
Angelicam, primæ nobile lucis opus:  
Quo veluti muro mea munit regna, fideles  
Dum socios lateri iungit vbiq<sup>u</sup> meo.  
Me sine terra nihil, sine me nihil orbita cœli  
Me sine nit hominum vita salutis habet.  
Me regnante Scholæ plaudunt, Ecclesia psallit,  
Pubica Res crescit, Curia lœta viget.  
Planto domos, vrbes foueo, denuncio regna  
Mille potestates, munera mille fero.  
Vos Patriæ Patres ego grato pectore laudo,  
Non Bellona meas quod fera vastet opes.  
Sed quod ego regnem, quod vobis salua triumphem,  
Quod via tuta solo, quod via tuta salo.  
Gaudia nunc ò Vrbs cape, tristes exue curas,  
Signaq<sup>u</sup> lœtitiae da manifesta tue.  
Machina nec solum testetur ahenea plausum,  
Pendula nec solum turribus æra sonent:  
Sed tua corda sonent laudes nomenq<sup>u</sup> Tonantis  
Cuius in arbitrio Bellaq<sup>u</sup>, Paxq<sup>u</sup> sumus.*

C 3

Martia

Martia Roma Dijs, vénit cum Scipio felix,  
Aras ante sacras debita sacra tulit.  
Tu pia tu supplex sacris adoluere templis  
Praeclarè merito votaq; solue D E O.  
Ipsi etiam gratas toto dic pectore grates  
Laurea quòd linguae cesserit, arma togæ.  
Igneus ipse fuit murus, fuit ignea turris,  
Angelico textit te patriamq; choro.  
Hoc habitare loco voluit sacer hæc tenus, & vult  
Post etiam clemens hoc habitare loco.  
Ipsi igitur placuisse stude, constanter adhære,  
Ipsi commenda teq; tuosq; Duces:  
Quos quia vis præstans & mens generosior ornat  
Divinæ tanto plus bonitatis habent.  
Sic reliquas supra virtutes eminent omnes  
Clemens in summo mensq; benigna D E O.  
Artibus ingenuis virtutum semina planta,  
Aoniosq; choros officiosa foue.  
Vrbibus hoc summum decus & pulcherrima laus est:  
Cum sunt viuentis Templa sacrata Dei.  
Atria Iustitiae morumq; Lycea bonorum,  
Et placide ciues Curia iusta regit.  
**H**æc & plura quidem lœta PAX aurea fronte  
Edidit & Phœbus Pieridesq; nouem.  
Quantus io cultus, venerandæ quanta coronæ  
Gratia? quam præstans forma nitorq; fuit?

PAX

PAX fulgebat uti roseis Aurora capillis,  
Qualis vel Gnydiæ splendida stella Deæ.  
Quaque pedes sistebat, erant violæque rosæque  
Dulces, ipso hyemis tempore, Veris opes.  
Corpore procedens reliquis excelsior ibat  
Magnus virginæ duxque decusque chori.  
Cincta triumphali fulgebant tempora lauro,  
Ornabat niveos instita clara pedes.  
Andromachen oculis referebant, fronte Dianam,  
Mundicie Venerem, Cæsarie Hermionen.  
Non Hebe labris, non Iuno pulcrior vlnis,  
Indole non Pallas, non pede Thetys erat.  
Pars dulces citbaras, pars cimbala laeta mouebant,  
Addebat viuos Musica viua sonos.  
Non adeo Cygnus defecta suauia lingua  
Carmina dat Vates funeris ipse sui;  
Dulcisonas adeò voces nec Lesbia Sappho,  
Ediderit tales nulla Sibylla modos,  
Quos ego tam dulci potero modulamine nunquam  
Reddere, Pierij ceu voluere chori.  
At laus maior obedire est, quam querere laudem  
Ingenij vires extenuando sui.  
Quando voluntatem sincero in pectore promptam  
Mens generosa videt, quod cupit, omne videt.  
Splendidiore dabunt alij sua munera cultu,  
Pectore sed nemo candidiore dabit.

F I N I S.

gallianum. sacerdotis indeq. 9  
Q. gaudijs. q. dicitur. q. dicitur.  
C. q. dicitur. q. dicitur.  
D. q. dicitur. q. dicitur.  
C. q. dicitur. q. dicitur.  
y. q. dicitur. q. dicitur.  
C. q. dicitur. q. dicitur.  
C. q. dicitur. q. dicitur.  
L. q. dicitur. q. dicitur.  
M. q. dicitur. q. dicitur.  
V. q. dicitur. q. dicitur.  
L. q. dicitur. q. dicitur.  
T. q. dicitur. q. dicitur.  
A. q. dicitur. q. dicitur.  
Y. q. dicitur. q. dicitur.  
C. q. dicitur. q. dicitur.  
Q. q. dicitur. q. dicitur.  
I. q. dicitur. q. dicitur.  
G. q. dicitur. q. dicitur.  
E. q. dicitur. q. dicitur.  
L. q. dicitur. q. dicitur.  
M. q. dicitur. q. dicitur.  
C. q. dicitur. q. dicitur.  
T. q. dicitur. q. dicitur.

T I N I S









Arduuus huic astat G R Y P H I S , cui  
Ignea, quique refert alitis ora Iou  
Candor inest, alis exornat purpura p  
Cœruleus vestit colla animosa  
Robur habent yngues ad vim bellu  
Si vim, si bellum tempora re  
Talia virtutes comitata insigni  
Talia magnorum sunt mor  
Scilicet Heroum felici Marte p  
Immortale manet fortia  
In medio CLYPEVS pulch  
Ancilis lapsi cœlitus  
Hinc velut è cœlis sacrato  
Cincta nitet, factis  
Quin etiam dextræ celebri  
Aureus in digitis  
Qui (si) sacra licet mysteri  
Cætera, perpetu  
Testis enim signumque I  
Et fidei & fid  
Splendidus ut puro  
Ipsaque forma  
Nobile sic fidei dec  
Sic fidi nu  
Opto perpetuò v  
Despons

